


RESPONSIO AD INTERPEL-

*Pictura Luna sinistra in Umbra, de qua inferius ago,
non est Fabricij, sed illa foris.*



Pictura Apianæ.



Observator bonus & diligens es, observata hæc tua in dubium vocanda sunt minimè. At-
num verè concludas, verèq; pingas, id videndum. Id quidem ego nego, nihil enim sequitur, cum
causa multa esse possint, cur visus sit Tibi defectus oculis nudis, non sit visus perspicillo.

Posses dicere, cum posteri adhiberes perspicillum, interim dum quæris Lunam colli-
mando, illam ex umbrâ exisse: posses etiam contrarium, nudis oculis Te non defectum, sed sal-
tem debile lumen vidisse, partis illius quæ proximè umbram stabat.

Quod enim quibusdam, adedq; etiam mihi, qui debili visu fruor, Luna defectura satis diu ante
verum initium suspecta est de initio, ejus rei causa sita est in penumbra terræ, quæ partib' Lunæ ad um-
bram appropinquantibus eripit potissimam partem radiorū Solarium, relinquit nonnisi parum aliqd.
Tunc igitur quæ minus illustrantur, minus etiam movent oculos, minusq; in illo sese diffundunt.
Deficit igitur non aer circa lunam, sed vitiosus ille limbus picturæ reiformis in oculo, seu potius vi-
gor ejus in movendo visu.

¶ Vide supra observationem Eclipsis anno 1616.

Sed missis his, utamur tuis ipsius verbis, q̄ proximè præmittis, sic scribens: *pars obscurata Luna
Cælo sereno per hoc telescopium facile cerni potest, quippe quæ aliquid tamen luminis habet, non potius
tenebrosa est.* Hæc tu de ijs Lunæ falcata partibus, quæ sunt penitus involuta nocti, quæ illas
involvit opacitas globi sui proprij, cujus pars sunt: q̄ multo magis ego possum usurpare de partibus
ijs Lunæ deficientis, quæ licet sint in nocte, quam globus terræ à longissimo intervallo erigit, sunt ta-
men in radijs Solis refractis: aut de ijs, quæ jam veluti quoddam diluculum sentiunt.

Nam cur non videatur perspicillo pars Lunæ deficientis, q̄ negrè videri oculis nudis? Cum pars li-
cet deficientis, sit tamen ex visibilibus, & sit insigni rubore picta? cum ea natura perspicilli sit, ut q̄ debilitè
viderentur, videantur fortiter? Nonnè rectè fecero, si Tibi Germano diligenti quidem observatori, sed
indulgenti tuis opinionibus, Galileum Italum opposuero, qui in usu de quo agimus, Telescopij ca-
teris perisq; ducem se præbuit. Verba ejus de Eclipsi Lunæ anni 1610, 30. Dec. extant in ejus
Epistola, præfixâ meæ Dioptricæ; *Meta Umbra indistincta, confusa, Et veluti obnubilata apparuit, Causa
quia consurgit umbra à Terrâ, longissimè à Luna corpore.* Hæc ille: quæ potuisti legere, indeq; dif-
cere, limbum illam Lunæ à Te visum, fuisse quidem in umbra, sed quæ erat diluta luce secundâ. Non
sequitur igitur, *Videtur limbus per Telescopium, ergo non est in Umbra.*

Aliud firmamentum afferis ex alia observatione: *limbus partis obscurata in Eclipsi minimâ, non
potest nudis oculis cerni, cum tamen nudis oculis cernatur Et æstimetur Luna defectum.* Ergo id quod de-
ficit, est tunica illa aëria Lunæ, luce sua regens Lunam totam extra umbram existentem, Et dependens ulte-
rius veluti infra pedes Luna, sic ne delibari ab umbra Et quasi præscindî possit, ille sit illius veluti pedibus.

Nam si limbus veri corporis Lunæ manens extra umbram, non tegetur a tunica lucida, Et si ex il-
la tunica sese exeret ulterius in umbram, posset a nobis videri etiam in umbra nudis oculis: non caret enim
corporis limbus suo rubore Et aldo conspicuo, etiam cum in umbra est. Et videtur potest in profundam umbram
ingressus, cur non videretur in umbra extremo?

Respon-

